

FR 134
L

No. XIII.

II m
922

13

AD
PVBLICVM LYCEI SNEEBERGENSIS
EXAMEN,
PRID. EID. OCTOBR.

ET SEQVENTIBVS DIEBVS PRISCORVM CONSVETVDINE
INSTITVENDVM, SVB CONTINVAZIONE XIII,

S C H E M A T I S
T R I V M N V M O R V M,

QVIBVS IMPRESSA CERNITVR APVD ILLVSTRISS. COMPLANI COMITEM
CONSTANTIVM LANDVM IN NVMIS. SELECT.


AVGVSTORVM CALIGVLAE NERONIS ET GALBAE EFFIGIES, CVM MANV
PORRECTA ORDINES CIRCVMSTANTES PRO ROMANORVM
MORE ADLOQVENS,

VENERANDOS LYCEI NOSTRI DN. INSRECTORES,
ET QVOTQVOT EX PROCERVVM VTRIVSQVE ORDINIS NVMERO MANSVE-
TIORIBVS MVSIS FAVENT, CONVOCAT, SIBIQVE ILLORVM PER-
HONORIFICAM PRAESENTIAM,

PRAEMISSA AD AVDITORIVM ADLOCVTIONE, QVOD NEMINI EXTRA
CHRISTVM ADITVS AD SALVTEM VNQVAM PATVERIT,
EXORAT

M. IOANNES DOPPERTVS, RECTOR
SCHOL. SNEEB.

SCHNEEBERGAE,
Praelo Henrici Fuldae.
Dom. 20. Febr. 1707.



AB omnibus retro saeculis firma invaluit persuasio,
 camque luculentius etiam annalium fides adstruit, mares ex naturae
 dignitate, indolisque praestantia ad faeces imperiorum, gentiumque
 regimen aptiores esse feminis, quas imbecillioris naturae conditio magis
 ad familiarum gubernacula, resque domesticae, quam ad throni excellentiam,
 sceptrique divinitatem destinavit. Vir ad virtutes, ad regimen, curasque publi-
 cas natus: mentis corporisque viribus praestat, voce, visu est robustior, au-
 ctoritas in eo eminent, cumque magis parentes colunt, et omni obsequiosa men-
 tis religione prosequuntur. Sine dubio ad hunc dignitatis characterem respexit
 quondam Antipater, qui in vitae termino constitutus, tanquam divino oracu-
 lo excitus, Macedonibus suis sub gravi sanctione praecepit, ne mulierem in thronum
 eveherent, et hoc monitum impulit Diodorum, historicum praestantem, ut id
 bibliothecae suae innectere minus videretur. L. XIX. c. II. Edictis, quae anno 1.
 regiminis Britonum Regina Maria publicavit, praefixum legitur vocabulum Rex, non
 Regina: cui simile est exemplum Mariae Pannonum Reginae, quae non Regina sed
 Rex solenniter dici maluit, ut quod lexui deesset, nationis vel luntate, tituli que gloria
 refarciretur. De Maria curiosus Anonymus, Gratianus in cal. illust. vir. et de regis
 a reginis appellatione Jo. Boterus L. VIII. Hist. Franc. Inter tria monita, quibus
 Purpuratus, aulaeque Princeps Muhammedes Kiuperlus paullo ante disces-
 sum ex hac vita Sultanum instruebat, hoc erat praecipuum, ne feminis unquam
 dominium concederet, illarumque consilia approbaret. Ricaut dans histoire de
 trois derniers Empeereurs des Tuers tom. II. fol. 296. Feminarum consilia regnis
 regibusque maxime perniciose serio detestatus est Purpuratus Richelius, quae ab
 ipsis mundi incunabilis post se nil nisi perniciem, summasque confusiones traxe-
 rint, et ubique fere aulae procerumque animos commiserint, vel disjunxerint, quod
 Francicae Monarchiae architecti consilium si in astutia regnandique arte haud
 degener sectator Ludovicus ante annorum aliquot intervalla observasset, svasu uni-
 us feminae, stimulisque acrioribus, praegravam Hispaniarum molem, tot sangui-
 ne, cladibus, diurnis nocturnisque curis redimendam, solus humeris suis minus
 imposuisset. Sect. V. c. 8. de la première partie du testament politique, Anonymus
 in vita Ludovici XIV. p. 453, et in vita Annae Britonum Reginae p. 278. In femi-
 nis pronunciat Lipsius, omnia levia, mollia, quae amorem, non reverentiam cre-
 ent. A natura ipsae timidae magis sunt, quam timendae: non igitur hic auctoritas.
 In ipsis calliditas, aut argutiae, imbecillitas deinde iudicii, et in decretis sensibus-
 que curipus. Septies in die mutant. Raro etiam altum aut honestum spirant, sunt
 in vanis et vilibus curis, non ergo ad sceptrum et publicum decus natae. Tollit
 in feminis deinde auctor ex indolis muliebris conditione, fluxoque temperamen-
 to iustitiam, fidem et clementiam, tres ad imperandum summe necessarias virtutes,
 tandemque suum sermonem his concludit verbis: quid de lascivia aut luxu dicam?
 utriusque vitio opportunas scimus, et pudorem atque opes prodigere: praesertim
 cum sui juris ac spontis, frenum non habent, quod astringat. O quale regnum,
 ubi Cleopatra aliqua, Messalina, aut Joanna Neapolitana imperat? Neque sine
 causa sacrae litterae inter pessima comminantur: feminarum imperiis subiectum
 iri. L. II. c. II. in monit. et exempl. polit. Franciscus Petrarcha Dial. 18. de remed.
 fort. advers. p. 395. Dum depilatrix vovellis crines educit, dum in gradus coma
 frangitur, dum calamistro ustulata crispatur, dum capillamenta tolluntur in api-
 cem, dum corymbion cincinnis vestitur, dum id ornatrices fuco perpluunt, dum
 vultus purpuris illinitur, dum sub speculo cervici baccata nomilia aptantur, sta-
 lagmia aurium lobis inferuntur, dum papillarum lactentium orbis exponuntur,
 annus abit, publicique cura posthabetur, Daniel Eremita vit. Aul. et civil. L. IV.

c. IX.

e. IX. p. 269. Salica Francorum vetustissima lex feminas ab imperii gubernaculis profus removet, quae lex a Salica s. Francica natione nominis appellationem accepit, hinc passim legas terra Salica, et leges Salicae apud Ammianum, Ottonem Frisingensem, Conr. Vripergensem, Vadianum, Sigonium et Paulum Aemilium nec non in chronico vetusto apud Lindenb. ubi pro gente Saliga Salica reponendum videtur. Allusiones sunt non vera derivatio illorum, qui a sale, sapientiae prudentiaeque symbolo, hanc vocem arcessunt, quod fecisse legimus Jo. Hordalium in hist. puellae Aurel. p. 225. quin jam dudum hanc denominationem ut minus congruentem improbat Bernardus de Girard de l'estat et succes des affaires de France p. 324. edit. Lugd. Lepidum irrisoris argumentum praebuit Claude de Seyfel de la loy Saliqve, qui excutiendi sale destitutus a sale et licitum hanc appellationem derivavit. Magni nominis iurum sacerdos Henricus Coccejus cum Carolo Du Fresnio per Saalam palatium s. curiam regni, a qua natales haec deductio fortiatur, intelligit, a quorum castris defectit inelyti nominis Polylistor Hermannus Conringius, tradens hac notione significari libertatem, perinde ut Francorum cognomen. Enimvero ut olim terra Salica, ita etiam hodie in Germania passim audiunt **Saalfrengüter**/ praedia a servitutibus et oneribus quibus vis immunia. Apud Marculphum formula 164. sunt bene Franci Salici homines liberi, et non obstricti praestandis servitiis. Et hodie **Saalfvüder** s. libri Salici audiunt libri centuales bonorum liberorum. Coccejus in juris publ. prud. p. 89. et orat. in augur. de L. S. Carolus Du Fresne voce Sala in gloss. Conringius de orig. juris Germani c. VII. p. 33. Addatur Philippus Camerarius in horis subc. cent. 3. c. 64. p. 229. Haec Francorum lex, quae Salica celebratur, sancita est in veteri Germania ante, quam Franci ultra Rhenum tenderent, pedemque in Galliae limite figerent, cuius pars erat Francia, ex qua victores Gallorum prodierunt, nomenque Francogalliae excelsperunt. Terminabantur Salicae legis capita in iure civili, litiumque privatarum decisione, hinc saepius a Britonibus Hispanisque scripta lex Salica desiderata fuit, cum tamen exclusio a sceptro litorumque insignibus non iure aliquo scripto, sed valida diuturnaque consuetudine innectatur. Hottomanus in Franco Gallia c. 10. et Massonius L. 1. annal. p. 44. Est Salica lex, Thuanus ex Villaregio Hist. no. afferente, certissimum Franciae palladium, sine quo lilia nunquam ad illud supremum decus, et verae gloriae fastigium excrevisset, et contra Hispaniae astus ac fraudes etiamnum vigerent. Nostra tempestate scena est mutata, et succubuit injustae Gallorum usurpationi Hispania, sperat tamen propediem Europa liberationem, quam Deus arbiter Regnorum clementer Carolo Austriaco elargiatur. Consulendi praeterea ad hoc argumentum Pithoeus, Esaias Puffendorfius, et Gabrielis Danielis Hist. Fr. dissert. III. de antiqv. et cond. L. S. Tom. I. Cum virtus non sexu sed virtute aestimari debeat, prorsus regnandi via feminis non intercluditur, isque graviter ex Senecae pronunciatio errat, quicumque dixerit, naturam maligne cum muliebribus ingeniis egisse: par illis, crede mihi, vigor, par ad honesta facultas est. Testes prostant tot regna a feminis condita, nislve laudabili ac prudenter administrata, et vel praecipue ex antiquitate luculentum testimonium perhibet inter Sauromatas stabilita Amazonum Res publica, quam cum Strabone, geographorum principe adhuc non crederem, nisi agmina scriptorum, sanctior senis Coi et Theophrasti auctoritas, et solida Petri Petiit fundamenta me ad historiae fidem amplectendam induxissent. Ortelius in Thes. geogr. sub voce Amazones, Mathias a Michov, Medicus et Canonicus Cracoviensis in Sarmatia Asiana atque Europaea p. 460. quae descriptio continetur in volumine scriptorum novi orbis, quod Hervagio curante prodit August. Raur. 1555. Ab ubere altero resecto appellari has Amazones quibusdam nimis ridiculum videtur, cum talis mammaram praesultio sine extremo vitae periculo obner.

171
F. H. 11. 32. 2

nervorum, eo tendentium concursum fieri nequeat; verum cui ex Hippocrate Scytharum corporum conditio durissima, tempestiva resectio et cauteria nota sunt, is, si cogitationibus paulo liberalius indulgebit, facile in propensiores sententiam inducetur. Bochartus ex Eustathio, Platone de legibus, Nicolao Damasceno in Phaleg. p. 216. Percelebris apud Salanos Medicus et Polyhistor, Georgius Volsingus Vedelius aliquando Paulo Patri quaerenti hoc responsi tulit: tutissima sibi videri, docta artificis manu, aptatis ad id debite instrumentis, accretionem mammillarum, praesertim in teneris, impediri posse; quandoquidem hodiernum solenne sit, ob varia symptomata, mulierum ubera sine ullo dispendio vitae resciccare. Immo, praesto esse observationes, ubi curandae herniae gratia viri, exsecto altero testiculo, nihilominus fortes procreaverint liberos; adeo scilicet verum esse illud: vis unita fortior; et avulso uno ramo, non deficere alterum. Natales vocis Palti in Perside investigandi veniunt, eaque notatur hastile, quo Persae populi que vicini in proeliis armorumque conflictu utebantur, maxime cum cominus hostium invasioni occurrendum esset. Hastile quidem fuit, sed formam bipennis vel securis suam referebat. Versuum dispositio a Simmia Rhodio instituta securis huius modi figuram praebet, praecipue si manubrium adjiciatur, a vate praetermissum. Ex Polluce, Svida, Helychio, Stephani thelauro, Brissonio de Reg. Perf. Hadrianus Relandus disert. misc. VIII. p. 209. Amazonum historiam prorsus destruere non conicitur Jacobus Vsserius Armachanus, Thalestris tamen f. Minichaeae ad Alexandrum congressum, liberorum ex eo quaerendorum causa institutum, illectus idoneorum testium auctoritate, aperte inficitur in annalibus vet. et novi test. p. 182. quos annales epochas temporumque rationes antea spissa obscuritate, nimis fluctuatione laborantes, in aptiorem ordinem redegerit, interque praecipua stupendae eruditionis monumenta esse, bene sensit Thomas Smithus in Vsserii vita p. 104. Harduini Chronologia veteris testamenti turbat antiquitates, illarumque fidem elevat, profecta ex captiosa Lololitarum indole, omnibus bonis et aequis antiquitatis Patronis merito exosa. La Croze in Vindiciis vet. scriptorum contra Jo. Harduinum p. 7. De Septentrionis Amazonibus, sigillatim de Hetha, quae cum trecentis suarum cum Sveonum Rege Ringone in campum arenamque pugnandi descendisse, dextrumque cornu tenuisse fertur, quaedam litteris consignavit Saxo L. VIII. n. 35. 36. p. 135. Rex Ericus Pomeranus in Chron. n. 41. De Americanis Amazonibus testantur Lopezius, Levinus Hullsius, et rerum novi orbis scriptores. Hinc ex aese fidem non meretur pronunciatum illud Anacreonticum de mulieribus, ab Henrico Stephano Latii habitu, ut sequitur, circumvestitum: tauro ferire cornu, eqvo ferire calce, lepori valere cursu, natura dat leoni dentes hiante rictu. Pisces docet natate, aves docet volare: prudentiam viris dat: at feminis nequivit. Quid ergo donat illis decoram habere formam: pro parumque cunctis, pro lanceis que cunctis. Quin flamma cedit illi ferrumque, si qua pulchra est. Longepierre sur remarques de poesie d'Anacreon p. 21. Temporis et instituti ratio non concedit, ut uberius cum P. Gregorio Tholosano et Agrippa de seminarum praestantia, scepro omnino, Augustali que compellatione digna, agam, multo minus meos numos paulo evidentius circumscribam: exposcet sibi peculiarem tractationem futura commendatio, ad quem Te, L. B. compositis verbis remitto. Nunc paucis Ephorum, Patrumque nostrae Civitatis honorificam praesentiam obsequiosa invitatione ad Musarum nostrarum lustrationem exeto, propositurus illorum conspectui togatos nostros milites, et in sapientiae palaestra pro viribus exercitatos. Accessus eo gratior jucundiorque Ordinum ductoribus existet, quo luculentiora benevolentiae specimina hucusque compererunt, sibi que magis adhuc futuro tempore diuque talia pollicentur. P. P.

Dominic. XX. post Fest. Trinit. 1709.

170

Fr 134
L.

No. XIII.

II m
922

13

AD
PVBLICVM LYCEI SNEEBERGENSIS
EXAMEN,
PRID. EID. OCTOBR.

ET SEQVENTIBVS DIEBVS PRISCORVM CONSVETVDINE
INSTITVENDVM, SVB CONTINVATIONE XII

SCHEMAT
TRIVM NVMORV

QVIBVS IMPRESSA CERNITVR APVD ILLVSTRISS. COMP
CONSTANTIVM LANDVM IN NVMIS. SELEC

AVGVSTORVM CALIGVLAE NERONIS ET GALBAE EFFIGI
PORRECTA ORDINES CIRCVMSTANTES PRO ROM
MORE ADLOQVENS,

VENERANDOS LYCEI NOSTRI DN. INSP
ET QVOTQVOT EX PROCERV M VTRIVSQVE ORDINIS NV
TIORIBVS MVSIS FAVENT, CONVOCAT, SIBIQVE II
HONORIFICAM PRAESENTIAM,

PRAEMISSA AD AYDITORIVM ADLOCVTIONE, QVOD I
CHRISTVM ADITVS AD SALVTEM VNQVAM PA
EXORAT

M. IOANNES DOPPERTVS, REC
SCHOL. SNEEB.

SCHNEEBERGAE,
Praelo Henrici Fuldae.
Dom. 20. Febr. 1707.

